

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo

Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, M.DC.LXXXIX.

Cap. CLXXIX. Sententia, seu arrestum prolatum in Suprema Curia Parlamenti contra resignantem, vtrùm præjudicet resignatario, præsertim si lata fuerit contra procuratorem dominum litis effectum? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98388](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98388)

Qu. & Res. benef. Pars III. Cap. CLXXIX. 131

sciente Tabellione prædicto, magna est in jure questio, utrum copia, seu extractus ab eodem Notario subscriptus fidem faciat, quando originale illius non reperitur? In qua Baldi sententia fuit in rubrica de fide instrument. num. 20. extractum fidem facere, quamvis originale non reperitur: quem sequuntur plures allegati per Gratian. discept. forens. cap. 877. num. 5. & 468. num. 41. Ea ratione, quia incuria, aut malicia Tabellionis, qui originale vel amisit, vel amittere voluit, partibus contrahentibus nocere non potest.

5 Verum contrariam sententiam plures amplexi sunt, existimantes extractum mandati fidem non facere, si originale illius non reperitur: quos ad longum refert Farinac. in tractat. de falsis. & simulat. q. 153. n. 136.

6 Generaliter tamen loquendo, probabilis esset Curiam Parliamenti, in quo negotium terminari debet, amplexuram esse priorem sententiam, quam veriorum existimar Scholasticos ad Alexand. cons. 175. num. 4. in verbo, Rogius. volum. 7. dicens instrumentum non vitari, quamvis rogius, hoc est protocollum, inter scripturas Notarii non reperitur.

7 Putat tamen, quod si producat instrumentum habeat etiam penes se protocollum, vel antigrapham, quam vocant contra litteram, tenetur edere, vel se purgare medio juramento, indistinctè reprobans in hoc sententiam Ioan. Ferrar. in practica, tit. de opposit. contra instrument. in verbo, dignoscitur esse falsum, num. 7. qui tenet non debere quempiam cogi ad exhibendum instrumentum contra se. Et hæc sententia, quæ vale eum qui dicitur habere protocollum, teneri illud edere, vel se purgare medio juramento, se illud nec habere, nec dolo deesse possidere, multo magis obtinebit in supremis tribunalibus, in quibus iudicatur secundum equitatem: Immo & in Rota Romana, ex stylo illius Curie, qui habet penes se aliquod instrumentum, cogitur ad illius editionem, ut apud Ludovis. ubi Additio decis. 129.

8 Hæc cum generaliter sic se habeant, multo magis attentis facti hujus circumstantiis obtinere debent, & Tabellio cogi ad declarandum utrum originale mandati penes se habeat: & quatenus habeat, illud exhibere, attento quod dictus Prior vult impugnare extractum tanquam falsum, ex eo quod de eo nullum adest originale, ut dicit Alexand. dicto cons. 176. numero 4. lib. 7. Farinac. plures allegans dicta quest. 153. de falsis. & simulat. numero 136.

9 Quod potissimum in Gallia obtinere debet, ubi ex Regiis constitutionibus procuraciones ad resignandum non valent, nisi in scripturam redigantur, & per resignantem subscriptantur in præsentia duorum testium, qui habeant qualitates per Ordinationem requisitas: sic enim statuit Henricus II. in constitutione edita anno 1550. art. 3. quæ est forma essentialis, ut testatur Theveneau ad consuet. Reg. l. tit. 20. art. 1. ¶ Quando autem agitur de contractu in scriptis celebrando, qui ex forma substantiali requirit scripturam, & sine ea consistere non potest, tali casu si nota originalis deperita fuerit, extractus nullam fidem facit: teste Alexand. dicto cons. 175. num. 4. vol. 7. Roman. cons. 174. num. 7. & hanc esse communem Doctorum sententiam testatur Menoch. remed. 9. ad ipsi. posses. num. 742. Farinac. de falsitate & simulat. quest. 153. num. 142. ubi alios allegat. Et sanè si aliter diceremus, hoc esset dare animum Notariis, qui malè versati vellent, disponendi ad libitum de beneficiis, fabricando

copiam resignationis, cujus nullum esset originale, in præjudicium publicæ fidei, & eorum qui beneficia possident.

Denique ut omnis tollatur difficultas, recurrendum erit ad edictum Ludovici XIII. felicis memorie, sub die 7. Septembris anni 1638. confirmatum die 5. Januarii 1647. primum quidem, art. 10. secundum verò art. 8. in quibus adfunt verba sequentia.

Injungimus Notariis de servando sollicitè originale dictorum mandatorum ad resignandum, cum inhibitionibus de illa remittendo partibus contrahentibus, sub pœna falsi, & nullitatis dictorum instrumentorum, & omnium damnorum, interesse & expensarum erga partes interesse habentes.

Vnde cum Tabellio non posset exhibere notam originalem dicti mandati, fuit conclusum, illud non posse suffragari prætenso resignatio, qui visis supradictis rationibus, & habito peritorum consilio, renunciavit dictis provisionibus, & suam renunciationem patroo intimari curavit, ad evitandam expensarum condemnationem.



CAPVT CLXXIX.

Sententia, seu arrestum prolatum in suprema Curia Parliamenti contra resignantem utrum præjudicet resignatario, præsertim si lata fuerit contra procuratorem dominum litis effectum. Et quibus in casibus sententia noceat successori in officio, vel beneficio, tam de jure communi, quam ex speciali constitutione felic. recordat. Gregorii XIII. summi Pontificis. Quid dicendum sit, quando condemnatus per triennium & amplius remansit in possessione beneficii, post latam sententiam condemnatoriam.

S Y M M A R I U M.

- 1 Sententia lata contra resignantem antequam resignaverit, nocet resignatario; secus si post resignationem: sed vide infra, num. 5. & 11.
- 2 Resignans dicitur mortuus civiliter in beneficio resignato, & quando mors civilis habeat eundem effectum, quem mors naturalis.
- 3 Sententia lata contra mortuum est nulla, aut saltem contra ipsam datur remedium restitutionis in integrum.
- 4 Sententia contra mortuum est valida, si procurator fuerit litem contestatus, quia durat mandatum. Intellige dummodo sententia feratur in personam domini.
- 5 Hoc non procedit in beneficiis, immò sententia lata contra procuratorem qui litem contestatus est, non afficit resignatarium.
- 6 Ampliatur ut procedat in Rectoribus Hospitalium, & similibus administratoribus, quorum morte mandatum expirat.
- 7 Ampliatur iterum ut procedat tam in morte civili, quam naturali.
- 8 Limitatur ut locum habeat si lis mota fuerit nomine Ecclesie, secus si pro interesse privato Prælati, vel administratoris.

6 Instanz

132 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerii,

- 9 Instantia liti transit in resignatarium; necesse tamen est quod ipse citetur, ut acta illum afficiant: & hoc casu omnia acta repetuntur unico contextu.
- 10 Sententia contra resignantem lata nocet resignatario scienti, & nihil opponenti, ad impediendam illius prolationem.
- 11 Ex constitutione summi Pontificis Gregorii XIII. sententia lata contra resignantem, indistincte afficit resignatarium, cui post litem motam facta fuit resignatio.
- 12 Qui per sententiam fuit declaratus inhabilis ad beneficium, non iuratur Regula de Triennali.
- 13 Causa ad Curiam devoluta per appellationem extrajudicalem, possessio semper remanet litigiosa, ideo possessor non potest dici pacificus triennalis, donec lis per sententiam fuerit terminata.
- 14 Quando possessor beneficii obtinuit pro se sententiam favorabilem, & transactam in iudicatum, statim efficitur pacificus.
- 15 Si possessor obtinuit sententiam contra se, non dicitur pacificus, quamvis victor litem non fuerit prosecutus, nisi sententiam illam possessor revocari curaverit.
- 16 Titulus dicitur discoloratus, quando possessor beneficii habet contra se sententiam legis, vel hominis.

Proposita fuerunt quædam dubia super impetratione cuiusdam beneficii regularis in Gallia, & inter cætera dubitatum fuit, utrum arrestum latum contra resignantem infcio resignatario, illoque non vocato, eidem resignatario nocere possit, attento maxime quod resignans post arrestum latum semper remanet in pacifica possessione sui beneficii.

- 1 Hoc dubium resolvitur sub hac distinctione: Aut enim arrestum latum fuit ante resignationem, vel post: primo casu, nocet resignatario, secundo casu, non nocet, nisi ipso legitime citato latum fuerit, cum perinde sit ac si sententia, seu arrestum latum fuisset contra mortuum; & cum resignans, facta & admitta resignatione, illaque perfecta, censetur veluti mortuus in illo beneficio: Paris. de resign. lib. 1. q. 16. n. 25. 30. & sequentibus, hæc enim videtur quædam mors civilis, quæ naturali æquiparatur: clement. fin. de procurat. & Ergo sicut sententia contra mortuum naturaliter, est nulla, Gratian. discept. forens. cap. 18. num. 24. aut saltem adversus talem sententiam competit remedium restitutionis in integrum, idem Gratian. discept. forens. cap. 24. num. 10. post Gabriel. cons. 50. num. 1. lib. 1. ubi loquitur de sententia lata contra infirmum, adversus quam datur restitutio, Ita & sententia contra resignantem mortuum civiliter in illo beneficio. & Est tamen verum, quod si procurator fuerit litem contestatus, & ea ratione effectus dominus liti, valet sententia contra illum lata, & afficit dominum: Ludov. dec. 396. num. 1. dummodo verba sententiæ concipiuntur in personam procuratoris, & non in personam domini: Gratian. dicto cap. 24. num. 13. & Quod licet procedat in causis profanis; tamen in beneficiis aliud dicendum est: nam si Prælati nomine suæ Ecclesiæ, vel beneficiatus nomine sui beneficii litem moveat, & sententia proferatur contra procuratorem ab ipso constitutum, qui factus sit dominus liti per contestationem, si sententia contra procuratorem sic constitutum proferatur, mortuo constituyente, talis sententia

non afficit successorem in beneficio, nec illi pro iudicabit, quia mandatum expirat mortuo Prælato, vel beneficiario constituyente: Blaen. de tacit. convent. lib. 7. tit. 23. num. 30. per rati. clement. final. de procurator. Trentecing. lib. 2. res. resolut. de procuratoribus, resolut. 4. n. 4. & Quia ampliat n. 5. & sequentibus, ut locum etiam habeat in Re & otibus Hospitalium, Vicariis perpetuis, & Choribus & Gubernatoribus Civitatum, & Universitatibus, tutoribus, & aliis similibus, quorum morte expirat mandatum ad lites per eos factum: & quod iterum extendit num. 9. ut locum habeat non solum in morte naturali, sed etiam in morte civili, vel in Prælati renunciantie, deposito, vel excommunicato, in dicta clementina, dicentem ita iudicatum fuisse in Rota Avenionensi. & Et quævis prædicta locum habeant, dum lis intentata fuit nomine Ecclesiæ, tamen si actum fuerit pro interitu particulari ipsius beneficiarii, & contingat ipsum mori postquam lis fuit contestata, & sic res non est integra, tunc mandatum non expirat, & per consequens sententia lata contra procuratorem mortui est valida: Cardin. in dicta clement. final. num. 4. Cæterum & cautius est, & secundum platum tribunalium hylum observatum, ut successores conveniant ad reasumptionem causæ, ut testatur Barbol. post Bonacollam per eum citatum in l. nulla dubium Cod. de procuratoribus, num. 3. & Et licet instantia transeat à resignante in resignatarium in eo casu, in quo reperitur; & ideo resignatarius non potest mutare iudicem in causâ, quæ contra resignantem fuerat intentata, sed teneatur causam persequi in terminis in quibus reperitur, Paris. de resign. lib. 1. q. 16. n. 10. & 14. Tamen instantia non transit ipso iure, sed necesse est ut successor citetur per hoc ut in eum transferatur instantia: per rati. in l. editum, ff. de iudic. & l. orationis, ff. de pign. & tunc uno contextu repetuntur omnia acta, necesse est Marthæ consil. 83. num. 7. 8. & 9. Dixi in tractatu prævent. iudic. part. 1. cap. 30. n. 21. & Concludendum ergo est quod sententia, seu arrestum de quo agitur, si latum fuerit contra resignantem post resignationem perfectam, & publicatam, seu publicè notam, non nocet resignatario, qui litem ignorat, nam si liti notitiam habuisset, & nihil dixisset imputandum esset; quia sententia inter alios nocet tertio scienti litem agitari, & nihil dicitur l. sape, ff. de re iudicata, cap. penult. cod. tit. Marthæ consil. 319. n. 5. Duen. Regul. 274. limit. 1.

Cæterum si negotium in tribunalibus non decidendum esset, omne dubium cessaret, & proposita facta etiam post cessionem, seu beneficii resignationem contra cedentem, afficerent etiam resignatarium, propter verba expressa Bullæ huiusmodi recordat. Gregorii XIII. super forma publicationis beneficiorum, cuius hæc sunt verba.

Sed ne in beneficiis super possessione vel proprietas litigiosis, liti prosecutioni turbari valeant, vel diffusi in causis huiusmodi contra cedentem ad ultimum, et ad sententiam definitivam, & rem iudicatam ac litem executionem (quousque ille, qui gratiam ex resignatione seu cessione, qui ea omnia forma publicationis huiusmodi obtinuit ad causam per se vel per procuratorem legitimum accesserit, litemque huiusmodi susceperit eodem modo & ordine procedi possit quo potuisset legitime, si cessione huiusmodi facta non fuisset: ac quidquid interim sic procedendo decretum & expeditum fuerit, siue cum cedente, siue contra eum, etiam postquam ipse vel quisvis alius, incumbens sibi secundum prædicta præstiterit, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem

possessionem, & ipsum jus quod concessum est valeat
omnino, & vim obtineat, illi quoque ipsum, cui gratia fa-
cta est, non minus afficiat, quam si ipso legitime citato
contra eum decretum, & executum fuisset, nec ipse ad-
versus hoc, praetextu non acceptata gratia, vel illius
ignorata, aut citationis, vel executionis adversus ip-
sum minime mandata, aliave ratione valeat excusa-
ri. Possit tamen ipse, etiam si in lite & causa huiusmo-
di subrogatus non sit, quandocumque ad illius profes-
sionem & terminationem venire, & a iudice coram
quo causam ipsam etiam ex delegatione pendere con-
tingerit, in illis ipsis statu & terminis, in quibus tunc
eam esse repererit, etiam absque rescripto speciali ad-
mitteri. Haec tamen summus Pontifex.

12 Sed tamen quamvis resignans per plures annos
post condemnationem, beneficium de quo agitur
pacifice possederit, non obstante atresco condemna-
tionis, non ex eo convalidatur ejus titulus: cum
enim per atrescum Curiae fuerit declaratus inhabi-
lis ad hoc beneficium, illius titulus fuit omnino
discoloratus, adeo ut illius possessio non possit di-
ci pacifica ad affectum, ut ipse regula de triennali
fuit possit, ex notatis per Gomez ad regul. de triennali,
§. 5. 4. §. Vbi dicit, quod si causa per appellatio-
nem etiam extrajudicalem intimatam fuerit ad cu-
riam devoluta, quamvis appellatio fuerit deserta,
possessio tamen non definit esse lingiosa, nec dicitur
pacifica, nisi per sententiam fuerit finita, vel
sententiarum fuerit super desertione appellacionis.

14 Quod tamen ut melius explicetur, duo casus di-
stinguendi sunt. Primus est, quando possessor be-
neficii sententiam obtinuit favorem: & hoc ca-
su, ex tunc dicitur pacificus, etiam si sententia non
fuerit aliter executioni demandata, dummodo ab
ea non fuerit appellatum, aut aliter transierit in
rem judicatum: quia satis est executi respectu pos-
sessionis, de qua agitur, quam penes se habet, &
tunc potest aliam non potest dici pacificus, nisi post-
quam lis adversarii perempta est, vel appellatio ejus
deserta, Papon. lib. 8. tit. 9. arres. 2.

15 Secundus casus est, quando possessor condem-
natus fuit per sententiam definitivam contra se pro-
latam: & hoc casu non dicitur pacificus, etiam si vi-
ctor sententiam exequi non fecerit, quamvis lap-
sum fuerit triennium: unde cum lis adhuc dureret,
possessio non potest dici pacifica, nec possessor con-
demnatus potest se juvare Regula de triennali, alio-
quin victo sententia contra ipsum lata proficeret,
quod esset iniquum, l. evidenter. ff. de re judicat.

16 Ratio est, quia titulus dicitur incoloratus, quan-
do quis licet titulum habeat ab eo, qui habet po-
testatem conferendi, vel eligendi, tamen jure suo
privatus est per sententiam juris, vel hominis: Pa-
pon. in cap. cum nostris, num. 23. de concess. prebend.
Gloss. pragmat. sancton. in tit. de pacific. possessor.
§. 2. in verbo, coloratum.

CAPVT CLXXX.

De resignatione beneficii triangulari, qua
quis resignat alicui suum beneficium, ut
resignatarius aliud quod obtinet, resi-
gnet suo consanguineo; vel alteri. Mu-
tuas resignationes esse validas, si ex-
primatur titulus permutationis, si ve nō
exprimatur. Summa tamen Pontificē
Sanlegerii Tom. I. Pars I.

triangulares, aut quadrangulares resi-
gnationes ex certa scientia admittere
posse. Et ex quibus conjecturis colligi
possit resignationem esse triangularem.

S V M M A R I V M.

- 1 Mutua resignationes sunt species permutationis.
- 2 Mutua resignationes fieri possunt exprimendo, vel non exprimendo, illas fieri ex causa permutationis.
- 3 Virum mutua resignationes fiant ex causa permutationis, sufficit illud colligi ex conjecturis.
- 4 Non praesumitur quod quis suo beneficio renunciet sine causa.
- 5 Resignatio, aut permutatio triangularis, aut quadrangularis, est nulla.
- 6 Hoc est verum, si id fiat precedente firma conventionione.
- 7 Explicatur cap. penult. de rei. permut.
- 8 Resignationes triangulares simoniace sunt.
- 9 Resignationes triangulares, aut quadrangulares sunt validae, si interveniat auctoritas summi Pontificis.
- 10 Papa non solet hodie concedere pensionem sub beneficio tertii, nisi sub certis conditionibus.
- 11 In Gallia non admittuntur triangulares resignationes; nec illas facile summus Pontifex concedit.
- 12 Confidentia probatur per leviores probationes, quando agitur de repellendo illum, qui vult impetrare contra possessorem beneficii.
- 13 Praesumptio confidentiae resultat ex diversis actibus factis eodem tempore, & eodem in loco, & coram eodem Tabellione, iidemque testibus, sine ulla temporis intervallo, & non divertendo ad extraneos actus.
- 14 Qui profecturus ad bellum resignat, ut tertius aliud a resignatario beneficium consequatur, facilius praesumitur id facere per confidentiam.
- 15 Confidentia praesumitur in resignante, si aliquid imminerebat, propter quod ipse resignans statim aliquid facere volebat, timens privationem sui beneficii, quam sciebat se incursum.

Concedebant invicem Basilii, & Antonius
super quodam Canonatu: quia Basilii in
Legatione provius se potius esse asserbat, ob
nullitatem tituli quo Antonius nitebatur, cum
fundatus esset in resignatione quadam triangulari
facta per Petrum ejusdem Antonii auctorem.

Iste siquidem Petrus fecerat mandatum ad resi-
gnandum, vigore cuius Antonius fuerat provius,
provisione tamen triangulari, quia eodem die quo
Petrus mandatum fecerat ad resignandum Anto-
nio, & coram eodem Notario, iidemque testibus, An-
tonius fecerat mandatum ad resignandum quendam
Capellania in favorem patris ejusdem Petri: quia
cum Petrus iturus esset ad bellum, & militiae facu-
lari adscribendus, & sic nec Capellania, nec Cano-
nicatum possidere posset, Canonatum vero pa-
truo resignare non posset, quia jam in eadem Ec-
clesia Canonicus erat, procuravit ut suus resigna-
tarius in compensationem Canonatus dictas Ca-
pellania ipsius resignantis patris resignaret. Id-
circo propositum fuit dubium, utrum collatio illa
triangularis facta Antonio sustineri posset.

Super quo dubio dixi, regulam generalem esse,
huiusmodi resignationes triangulares esse nullas &
de